


Johann Sithmann    Jacob Christian Stettin

**Disputatio Tertia Iuris Institutionum De Iure Personarum Qua statum libertatis & familiae Ad lib. I. Institut. Tit. 3. 4. 5. ... Quam... in Regio Gymnasio Stetinensi, Praeside ... Dn. Johanne Sithmann, I. U. Doct. ... Publicae disputatoriae disquisitioni subiicit In auditorio Iuridico horis antemeridianis die [28] Septembris Jacob Christian Stettin, Nob. Pomer. Respondens.**


Stetini: Rhetius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757208185>

Druck    Freier  Zugang











V. K. 2 (165.)











JURIS INSTITUTIONUM

De

JURE PERSONARUM

Qua' statum libertatis & familiae

*Ad lib. 1. Institut.*

*Tit. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*

*Quam,*

Sacro-Sancta Triade Adjutante,  
in Regio Gymnasio Stetinensi,

PRÆSIDE

*Viro Clarissimo & Consultissimo,*

Dn. JOHANNE Elthmann / J. U. Doct. & Professore  
ibidem ordinario Regio, Præceptore &  
Favitore ætatem honorando,

*Publicæ disputatoriæ disquisitioni subjicit*

In auditorio juridico horis antemeridianis

*die 28 Septembris*

JACOB CHRISTIAN STETTIN,

Nob. Pomer.

RESPONDENS.

---

STETINI, Typis RHETIANIS.

*Anno 1648.*



*Admodum Reverendo, Nobiliss. Ampliss. & Consultissimo,*  
Dn. CHRISTIANO PISTORIS, Capituli Cathedralis Caminensis Vice-Domino, Regii Archidicasterii apud Sedinenses ASSESSORI & Consiliario, nec non Consistorii ibidem Directori, in Seussellß hereditario.

*Nobiliss. Ampliss. & Consultissimo,*  
Dn. GEORG BERNHARD Gölert / Regii Archidicasterii apud Sedinenses Assessor & Consiliario, de domo Ravensburg.

*Juxtim ac*  
*Nobiliss. Strenuo & Fortissimo,*  
Dn. SAMUEL Stettin / Equitum quondam Magistro, in Rorckenhagen & Lemnick hereditario.

*Dominis Evergetis suis magnis, & Parentis omni observantia cultu atatem prosequendis S.*

Dispicienti mihi, Viri Admodum Reverende, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi, Evergetæ plurimum suspicendi, quorum autoritate potissimum subnixæ Theses hæc lucem viderent, de Patronis non anxie laborandum erat. Subito n. & Virtutum Vestrarum fulgor oculos feriebat, & ingens benignitas, favorisq; in me Vestri cumulus in devotum suum cultum me trahebat. Etsi autem impar Magnitudini Vestrae hoc meum existat obsequium, attamen, quæ summa Vestrae Humanitas, non tam munus ipsum spectatum, quam conatum mentemq; meam. Vobis probatum iri confido. Accipite igitur, Evergetæ atatem devenerandi, hæc studii mei iuridici primitias, & quod facitis, favere pergite.

*Nob. V. Ampl. & Consul. Excell. observantis.*  
J. C. STETTIN.



**N**obilitatis honor, virtutis acumine natus;  
Virtute accrevit Nobilitatis honor.

Gloria Virtutis quare qui Nobilis audit,  
Virtuti, quicquid nobile, id omne datum:  
Nec juvat hic clamasse genus, nihil Æmilianos  
Cantasse, ac Atavum concumulasse decus,  
Si nihil in nobis virtutis, inaneq; pectus  
Quò placeat meritis scandere honoris iter.  
Sic præstas virtutis opus STETTINÆ, quod audes  
Abstrusas Juris solvere de asse strophas.  
Laudo conatus, voveo prodesse potestis  
Olim tum Generi, tum Patriæ atq; Tibi.

*Studiis Nobis. Dn. Respond.  
benevolens, & precatus*

*f.*  
PRÆSES.

---

**J**am modò, Stetini, cum belligerare Stetini  
Pro Personarum Jure paratus ades,  
Sis Vir, illorum præacutaq; tela retunde,  
Qui Personarum stringere Jura student.  
Sic Themis alma Tibi pensabit præmia, laudes,  
Quæis augere tuum nobile stemma potes.

M. MART. BAMBAMIUS.

---

**M**ars, SVEONUM invicto ductus sub Rege, Parentem  
Et propriæ decorat nobilitatis honos.

Hanc



Hanc quoque stemma Tibi tribuit: verum enthea parvi  
Simplice mens ducit nobilitate frui.  
Mars Patris extat honor: major tibi Pallados ausis  
Et Themidos surget nobilitatis apex,  
Vince Patrem Soboles. O pulchra opprobria, laude  
Si nati superant fortia facta patrum!

Gratulabund. scrib.

GEORGIUS HYBNERUS,  
LL. Stud.

---

**N**obilitatis honos duplici de fonte resurgit,  
Et variò decorat laudis honore suos.  
Primus belligero fons est de Marte, sed alter  
A sancto à studio Justiniane tuo.  
Nobilitatis honos Martis tibi fulget ab aula,  
Quem tibi Majores promeruerunt tui,  
Nunc artis quæris Stetini nobile donum,  
Pergito, sic duplici nobilitate clues.

ita Nobilissimo Dno Respondenti  
acclamabat

MARTINUS BAMBAMIUS, J. Ll. Stud.

---

**D**e personarum dum vis discurrere jure,  
Personæ propriæ sis memor oro tuæ.  
Sed potes esse memor, si masculus esse studebis  
In defendendis hisce tuis thesibus.  
Ergo animi magnas nunc fortiter exere vires,  
Hic Rhodus, hic salta: sic tibi surget honos.

Sincerarius amicitia ergo f.

FRIDHELMUS à SCHLICHTING,  
Nobil, Siles.



DISPUTATIO TERTIA.  
De  
JURE PERSONARUM,  
Quà statum libertatis & Familiae.

Ad libr. I. Institut.

Tit. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Respondente

JACOBO CHRISTIANO STETTIN,

Nob. Pomer.

Ad Tit. 3. Princip.

I.

**J**us Personarum objectorum juris præstantius est. *Sa ult. Inst. de jure n. g. & c. l. 2. ff. de statu homin.* servos includit relative, quos nec personas civiles esse, nec statum *Libertatis, Civitatis*, nec *Familiae* habere asserimus. *S. 4. Inst. de Cap. diminut. l. 3. ff. Ne quis eum, qui in jus vocat. l. 32. l. 209. ff. de R. j.* Non obst. *l. 22. de R. j. & l. 6. C. de judic.* Textus ibi in vocula *Persona* loquitur improprie.

2. Sunt omnes homines vel *liberi*, vel *servi*; Quò ergo referendi *statu-liberi? Servi sunt l. 9. ff. de statu lib. l. 25. ff. eod. l. 29. eod.* Quò *Tabularij? Liberi sunt. l. 3 C. de Tabul.* Quò *Ascriptitij? Ad liberos referimus, Quò modernos homines proprios seu Rusticos & colonos? Liberi sunt, quoad statum, non vero quoad Operas & Officia.*

Ad §. I. 2. 3. & 5.

3. *Quid ergo tandem libertas? Quid servitus? Naturalis facultas agendi, quod libet, rem omnem determinat. Illi, quà actum & potentiam, datur; Huic, quà tali, negatur. Ergone contra naturam servitus in §. 2. h. t. Contra jus gentium primarium seu naturale, ajo, non verò secundarium, cujus servi per se communionem non habent, Primari habent, l. Dominus ff. de Condi. indeb. Vid. Bologn. & Donell 1. comm. 7. Duf. Cont. 1. Comm. 5. Coraf. 6. Misc. el. ult. Bronch. 1. asf. 2. Supputat Bodinus A. C. M. CC. servitutē in toto orbe Christiano defuisse: Justinianus autem imperio potitus A. C. D. XXXVII, ergo servitutis materiam non suò, sed nostrò tempore obsoletam nobis tradidit, quod viderint ejus hac in parte Chronologia ignari obtrectatores.*

D

Ad



*Ad tit. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.*

4. Quæ ingenuitatem non interest, mater intra sive extra matrimonium conceptionis, partus, vel mediò tempore libera; pater ingenuus, libertinus vel servus fuerit: Quoad statum namq; libertatis vel respectivè servitutis matris tantum conditio; quoad familiam, dignitatem & honorem patris sequenda, quæ ex justis nuptiis trahit originem. Pater est, quem justæ nuptiæ demonstrant. l. 19. & 23. ff. de Stat. hom. Confer de Ingenuis Novell. de sanct. Episcop. §. si servus. l. 23. ff. de Stat. hom. l. 1. de ingen. manumiss. l. 1. §. 3. ff. de collation. detegend. Novell. 76 c. 1. & 2.

5. Hæc Sententia Triboniani hîc & Martiani est in l. 5. §. 2. ff. de Stat. hom. Adversatur Ulpian. in fragmen. 1. & Cajus l. 1. Inst. tit. 4. Resp. 1. Ulpiani & Caji fragmenta in correctoriis vim juris habent nullam, §. 19. de confirmat. ff. ad omnes popul. 2. Nulla est antinomia, Tribon. & Martian. loquuntur de conditione matris, an partus sit servus vel liber quæ statum; Cajus & Ulpianus de patris conditione, an sit legitimus? ubi non tempus mortis patris, sed conceptionis attenditur, quod pulchrè copulat Hotom. 4. Observat. 12. Manumissio autem non officit ingenuitati, postquam manumissus rescivit, se ex matre libera natum, & ex errore pro servo habitum esse, & manumissum. Theophil. hîc.

6. Tit. 7. Fiebant per manumissionem non tantum, sed & sine manumissione libertini. l. 2. C. Qui necem Dom. deser. Tit. de his, qui sine manumiss. ad libert. Tit. C. in quib. serv. pro præm. libert. Notandum I. ex antiquitate: Inter Libertinos & Libertos olim, Appij Cæci Censoris temporibus, & deinceps aliquamdiu, habitum discrimen, quod refert Sveton. in Claud. c. 24. & Modestinus observare videtur in l. 1. ff. de Excusat. 2. Manumissionem per vindictam à Vindicio, Vitelliorum servo, sub Jun. Bruti consulatu circa A. U. CCXLV. cepisse, quod, ut Plutarchi, Livii & aliorum relato credam, non abnuo: ea verò, quæ ex Censu fiebat, ab antiquiori Servij Tullii tempore desumenda est. Halicarn. l. 4. Latina & dediticia libertinitas merito à Justiniano sublata Novell. 78. c. 1. & 2. cujus ipsius nec hodie usus amplius extat.

7. Sed quid illud intransitu? §. 2. h. Tit. obt. l. 2. de offic. præcons. l. omnia 7. de R. j. l. cum sententia 6 C. de sent. & interlo. ut. Interpretantur hos textus Hotoman. 1. Obs. 22. & 7. obs. 5. Aliter Cujac. 14. obs. 11. Reçtius Robert. probat, manumissionem voluntariæ duntaxat esse jurisdictionis, nec causæ cognitionem desiderare per l. 7. de manumiss. vindict. & l.



& l. 36. adopt. Sed anne apud legatum Proconsulū manumittere licet? Durum est, antinomiam inter l. 2. § 1 de Offic. procons. & l. 17. § de manumiss. vindict. conciliare, quæ nostra tamen hic sit sententia, disputando exponemus.

8. Tit. 6. L. *Ælia Sentia* lata A. C. 756. Augusti temporibus S. *Ælio & Cajo Sentio Cons.* ne quis in fraudem creditorum, vel minor 10 annis nisi *vindictâ* vel apud *Consilium* justâ manumissionis causâ probatâ, manumittat. Quæ hæc singula sint, vide Theophil. Fraus hæc de jure civili *conjunctim* tam ex *consilio*; quam *eventu* facta intelligitur, & quidem de alienationibus, inter vivos, & libertatibus directis, non fidei commissis, Legatis, mortis causa donationibus, & libertatibus fidei commissariis, in quibus *Eventum* tantum inspiciamus, etiamsi absit dolus. l. ult. C. qui manumitt. non poss. l. 4. §. Si quid. de fidei Commiss. libert. Non tamen revocantur fraudatoriis actionibus *Paulinâ*, *Fabianâ*, *Calvisianâ*, quippe cum revera possessio nondum translata sit, sed aliâ ratione irrita constituantur, quæ est per legata, & cætera, quæ non præstantur, nisi deducto are alieno. l. 1. ff. ad l. Falcid. Cujac. in l. 79. de R. j.

9. Titt. 7. 8. & 9. L. *Fusiam Caniniam* dilucidè explicat Cajus in *Inst.* tit. 2. Abrogata post à Justiniano in l. un. C. de L. *Fus. Canin. toll.* lata A. U. 353. sub Augusto Imperatore, *Fusio Camillô & C. Caniniô Cosl.* Errat ergo *Accursius*, eum à *Cane* dici. Verùm hoc cum cæteris ejus in historia erroribus transeat. Sequitur nunc *status familiae*. Quæ hîc *Tribonianus* de servis inserit, rectius referenda fuissent ad Tit. 3. Hisce non obstat. l. locum 17 §. 1. ff. de usufructu. l. 24. §. si maritus. ff. solut. matrim. Neq; obstat l. 10. §. 3. ff. de acquir. dom. l. 44. in pr. ff. de Condit. & demonst. De quibus disputantes videbimus.

10. Sed ad rem. Familia propriè consistit in patria potestate, & constituitur justis nuptiis, legitimatione & adoptione. Quid nuptiæ sint, tradit *Tribonianus* in §. 1. tit. 9. sac. l. 19. & 23. de stat. homin. Ex hisce nuptiis non cõmunionem uxorū, *Diod. Sic. lib. 6.* *Herodot. lib. 4.* non *Polygamia*, vid. *Strabon. 13. Cosmogr.* aut *Sodomiâ* prodeuntes liberi in nostra sunt familia & potestate. Excluduntur ergo *naturales & spurij*, quorum populus pater est, vel si habent, habere non licet, l. 19 & 23 ff. de statu hom. Itè *monstruosi* l. non sunt liberi. 14. ff. eodem. Monstrum abijciendum vel occidendum est. Non obstat l. enim 30. ff. de R. j. Quid de iis, qui sunt in utero? Pro vivis habenter, quatenus de eorum commodo agitur, ex justis nuptiis,



ptiis, & pro tempore conceptionis legitime nati sunt. Idem dicendum est de partu *septimestri*, non antequam mensem edito. *l. 12. eod.* *Octimestri*, qui legitimus est, licet ratio sit vitalis. Cujac. *ad Paul. recept. sentent. lib. 1. Tit. 9.* *Noni* & *decimestri* partu, non vero *undecimestri*, nisi in initio mensis edatur, de quibus, & præsertim jure filiationis, vid. Menoch. *de arbitr. jud. qvæst. cas. 29. lib. 2. & 6. præsumpt. § 3. n. 67. 45.* Adde Beust. *de max. c. 36.* ex Hippocrate de Undecimestri partu notabilia referentem.

11. Rectè tradit Tribon. hic in §. 2. alios homines vel gentes *talem* in liberos non habere potestatem, *qvalem* Romani. v. c. *servis negabatur & peregrinis.* Ulp. *tit. 6.* alios multos habebant patriæ potestatis effectus cum aliis populis communes, v. c. *ius vitæ & necis*, & alia, quæ in historia sunt tralatitia: *Sed anne hoc jus vitæ & necis secundum Bodinum revocandum est patribus? Non probò.* Ulterius uti patriæ potestatis jus penes patrem est, non matrem, ita ex filiabus nati non continuant familiam patrum, sed maritorum per rationem *l. 19. ff. de V. S.* Matri tamen licet non patriæ sive civilis potestatis jus, parentis tamen naturale seu reverentiam naturâ debitam tribui convenit. Hillig. in *Donell. Enucl. lib. 2. c. 20. tit. 6. Besold. Diss. ad Tit. 5. & 6. ff. lib. 1. thes. 12.*

12. Justæ nuptiæ primum patriæ potestatis modum constituunt. *Quid sint?* vidimus ad *tit. 9.* Ut autem materiam hanc succinctâ exhibeamus tabellâ, 1. agamus *de personis contrahentibus.* 2. *de modo contrahendi.* 3. *de pœnis non-legitimè contrahentium nuptiâs.* Circa personas textus requirit 1. *Cives Romanos*, sive *Originarios.* *Alciat. l. urbis. 2. ff. de V. S.* sive ex *manumissionibus* factos, sive *receptos*, *l. cives C. de incolis.* Exulant ergo *servi*, inter quos non fuerunt nuptiæ, sed *Contubernia* *l. 3. C. de incest. Nupt. neq; patria potestas.* Item *peregrini*, *Latini* & *DEDICITÛ.* *l. 1. C. de latin. libert. toll.* Ulp. *in §. agm. tit. 5.* Sed hæc omnia quoad peregrinos per tempora *Coss.* usq; ad Antoninum 16. *Imperatorem*, qui postquam *A. C. 136.* ad *Imperium* pervenerat, omnes ingenuos, licet peregrinos, civitate donavit, obtinere. *l. 17. ff. d. statu hom. Novell. 78. c. 5.* De servorum hodiè prohibitione non amplius est digladiandum.

13. 2. *Puberes.* In masculo pubertas in 14. in fœmella 12. anno Jurè Romano approbata est *Tit. inst. Qvib. mod. tutel. finit.* post Tertulliani tempora, qui vixit 300 annis ante Justinianum refertq; hanc aetatem in *libro de vel. Virgin.* Rationem in fœmellis dat Plutarchus, ut celerius conjugum mores tenellâ adhuc aetate imbiberent, & ad obsequium virorum



torum facilius flecti, fingiq; possent: Brisson. *de jure connub. pag. 44.*  
547. quod in adultioribus saepe durum & calamitosum. Aliter Plato &  
Hesiodus in Masculo 30. in foemina 16. Aristoteles in Masculo 37. in foemina  
17. annum volunt nubilem, habitò respectu ad partus & parientis  
majus commodum. CCTæ non tam annorum numerum, quam  
gignendi & pariendi habitudinem respiciunt. Compertum, ante 14.  
annum Masculum genuisse & 12. annum foeminam peperisse, malicia  
saepe supplente ætatem. Exempla Conf. Tiraqvell. *de legib. connub. 7. n.*  
37. Coras. *lib. 6. & Mucell. jur.* & alij. Ab hac vel alia priori ætate, quo-  
usq; liceat uxorem ducere, nullus hodie terminus est, nec enim sola li-  
berorum procreatio, sed & alii Nuptiarum fines sunt.

14. *Sed cur femella citius pubescunt, quam masculi?* Esto, vel quod  
perfectiorem suo sextu congruentem maturius assequuntur. *Maer. lib.*  
*7. Saturnal. c. 7.* vel quod citius in eis cessat vis generationis & idcirco Pro-  
cul dubio maturius incipit, vel quod doli sunt capaciores, *Alberic.*  
*Genril. lib. 5. de nuptiis ac. 2.* vel quod sunt humidiores. Bald. & Accursius  
jocantur, quia mulier est mala herba, ideo citius crescit. *in l. qua ætate*  
*5. ff. Qui testis fac. p. 8.* Quæritur? *An mutus & surdus possit contrahere ma-*  
*trimonium?* Non displicet, si modo ex signis certis consensum declarasse  
videatur. *Covarruv. In Epitom. de matrim. part. 2. c. 4. n. 1. & 2.*

15. *Propero ad modum contrahendi,* ubi consideratur 1. Consensus  
parentum. 2. Consensus contrahentium: 3. Cognationis; 4. Affini-  
tatis ratio. Parentum consensus ante omnia de jure divino, naturali &  
Civilis est necessarius, contra diu reprobata Guiberti Saturninam sen-  
tentiam. Sed idemne de jure Canonico? *Omnino.* Non *obst. c. suffi-*  
*ciat. 27. quæst. 2.* Resp. ibi per leges intelligit Nicolaus Pontifex leges  
civiles. Nec particula *solus* officit. Excludit enim duntaxat *copulam.*  
*conf. c. Matrimonium. præcedens. & c. cum apud 23. de spons.* Nec *obst.*  
*& cum causa. 6. de Raptor.* Text. non loquitur de matrimonio sine consen-  
su patris contrahendo, sed contractio distrahendo, quod negat textus.  
Videtur textus consensum parentum directò probantes *c. aliter. c. no-*  
*strates. 30. quæst. 1. si verum 31. q. 2. c. non omni 32. q. 2. c. honorantur. 13.*  
*q. 2.* Dis. Gail. *2. observ. 93. n. 3.* Sufficit paternus consensus tacitus, ut  
tamen præcedat matrimonium contractum, non subsequatur, Ratiha-  
bitio namq; patris præsentis nulla est. *Cujac. 3. obs.* Sed datò, *Filius*  
*contraxit matrimonium spreto patris consensu, anne matrimonium dissolven-*  
*dum?*



dum? *Resp. Affirm.* de filio minore, qui re adhuc integrâ sponſalia de præſenti contraxit; de majore dubitatur, niſi inhonestæ ac turpi personæ filia fuerit nupta. Secus est, re amplius non integrâ, copulâ carnali subsecutâ, ubi nullatenus rescissionem admitti æquius puto.  
*Devi. 22. v. 22. c. cum causa de Rapi.*

17. Item, *Neglexit filius paternum consensum, annon exheredandus?* De jure civili non filij ratione, sed filix dicerem, minoris 25. annis indigno nubentis. *Novell. 115 c. aliud quoq., §. 11.* Aliud observatur de jure Saxonico, *Ordinat. Eccles. August. c. 7. Rubric. von Ehegelübnuß.* *Quid si pater sit furiosus?* Frustra ejus consensus petitur, cujus consensus non est in potentia, nisi per dilucida intervalla furiat. *Quid si sit absens?* ut expectet patris adventum vel consensum per literas, filio consulerem, si de redituro patre constet; si secus, ex consilio bonorum vel proximorum optimam oblatam conditionem non negliget.

18. Emancipati ergo liberi, exceptâ filia 25. annis minore nubere volente, *l. 18. & 20. C. de Nupt.* consensum paternum non requirunt. Pro nostro more aliud dicendum est de filiis aut filiabus viduis, quæ, ad secunda vota transeuntes, non rectè consensum paternum respiciunt. Non video ergo, quæ de hoc & alijs dubitet *Anton. Matth. in dist. 9. thes. 2. & 7. th. 19.* Sed *anne & matris opus consensu?* *Resp. Neg.* de jure Civili, vivò adhuc Patre, quò defunctò, matris consensus præfertur tutorum. *Ad quid ergo tutorum consensus?* *Resp.* Non quidem de necessitate, sed honestate requisiverim. Vide tamen jus Lübecense, virginibus sine consensu hoc nubentibus inferens pœnam, *lib. 1. tit. 4. art. 2. 93. & 4.*

19. Contrahentium consensus, uti basis & fundamentum matrimonii est necessarius. Probat Exemplum Rebeccæ, *Genes. 24. l. nuptias ff. de nupt.* Oportet matrimonia esse libera, non coacta, etiam si à patre contra voluntatem filix sint jurata, difficiles quippe hujusmodi matrimonia consueverunt habere exitus. *c. cum locum l. 4. c. requisivit 17. de sponsal. c. gemma eod. l. fin. in fin. ff. eod.*

20. Consensui ergo contrarius est *I. Metus*, non quivis & reverentialis, sed qui cadere potest in constantem virum & mulierem, qui ex arbitrio judicis dimetiendus, *Covarruv. de matrimo. p. 3. c. 2. §. 1. n. 2. & seqq.* quò interveniente matrimonium est ipso jure nullum, ut non  
opus



Opus sit actione, quod metus causa. *Jaf. in l. pacta novissima n. 13. ff. de pact.* Licet enim in aliis casibus coacta voluntas praesupponat consensum, aliud tamen est in matrimonio, à quo simpliciter metus exulat, licet juramentum intervenerit, siquidem per juramentum metus non purgatur. Nec juramentum, consensus supplet defectum. *c. fin. de Procurat.* Covarruv. *in epitom. de matrimo. p. 2. c. 3. §. 1. n. 3.* Vide Rosell, pulchre consulentem scholari cuidam *Consil. 43. fol. 101.* & Riminald. *Consil. 77 fol. 245.*

21. II. *Error*, qui est vel *Substantialis*: 1. *Personae*, ut si quis Annam ducat pro Catharina, error impedit matrimonium. *Non obstat* Exemplum Jacobi, accipientis Leam pro Rahele. Ceserat enim hic suo juri sua sponte, vel quod per copulam matrimonium consummatum difficulter poterat divelli. 2. *Conditionis*, si quis servam pro libera ducat, qui casus hodie non obvenit, vel *Accidentalium error*, si quis pro nobili ignobilem, pro divite pauperem ducat, matrimonium non solvit.

22. *Sed si quis vitiatam ab alio ducat, quam putat esse virginem?* Dicant Welenbec. aliiq; quicquid dicant, status virum, hujus rei generum, lenonem esse suae sponsae aut uxoris, & habere peponem loco cordis, & cucurbitam loco capitis, qui talem mulierculam retinet. Dissolvendum ait Lutherus sponsale & matrimonium, non tantum *quoad mensam*, sed & *sorum*, partuq; innocenti liceat matrimoniò illò per sententiam solutò ducere aliam. *in. 4. quest. 1. par. von Ehesachen.*

*Ad I. 2. 3. 4. & 5.*

23. Sequitur ratio *cognationis*. Redigamus rem omnem in compendium. In *linea recta* matrimonium est prohibitum in infinitum, quò Jus Civile & Canonicum. Unde si adhuc superstes sit Adam, mortuà Evà non posset ducere aliam uxorem, quia omnes homines totius mundi sunt ejus descendentes, *quo fac. §. 1. b. tit.* In *linea transversali aequali* prohibitus est de jure Civili gradus secundus, & permisus quartus & sequentes, nisi subsit parentum & liberorum respectus, *quo fac. §. 2. & 4.* De Jure Civili frater & soror est in gradu 2. de Jure Canonico in 1. Consobrini verò vel patruales in gradu 4. illò jure, hòc in gradu 2. In *linea inaequali* de Jure Civili prohibitus est gradus tertius & reliqui omnes, quorum habetur parentum & liberorum ratio. V. C. Fratris mei filiam ducere non possum, quia est mihi filiae loco, imò nec ejus neptem nec proneptem propter eandem rationem. *Non obstat.*



*Obstat*, Nepotem mihi esse quartò gradu, pronepotem quintò gradu, qui gradus de jure civili non sunt prohibiti. *Resp.* Jus Civile non tam gradus, quam paternum & filialem respectum intuetur, qui hic subest. De jure Canonico in linea æquali prohibitus est gradus 2. & 4. suæ supputationis. In linea inæquali absurdissimè nunc permittunt, nunc prohibent CC. nuptias, parentum vel liberorum respectu parum habitò, modò exquisitè quartum gradum teneant. v. c. Jure Canonico fratris abneptem ducere possum: *Ratio*, quia est in 5. gradu. *Elegans* hæc quidem, quasi verò parentum & liberorum ratio non pluris habenda sit, quam reprobis ille gradus quartus. *Dì vestram fidem!* Anne longum præstaret hæc civilis computatio: *Tot sunt gradus, quod generationes*, nihil attentà CC. lineæ obliquæ in æqualem vel inæqualem dismembratione. Item ut in inæquali stipes abjiciatur. *Anne hæc insana & monstrosa est supputatio? Anne hæc tortura ingeniorum?* Certè, hac unicà & solitariâ juris Civilis regulâ servatâ, omnium linearum, Rectæ, Obliquæ, Æqualis vel Inæqualis gradus tutissimè inter illos, de quorum cognatione quaritur, transire licet, nec opus est injuriosâ illâ stipitis & originis deletione.

25. Quartus gradus Consobrinorum permixtus est de jure divino: *Num. 36. v. 10. Civili. §. h. tit. l. 3. ff. de jure Nuptiar. l. 22. cum seq. de Condit. Instit. cum simill.* (utut negativelegant *Cont. Hotoman. Theoph. & Cajus*) & Veritate historicâ, v. c. *Historiâ Curiatorum, Horationum, Tarquiniorum. Liv. & Halicarnass. Non obstat l. 1. C. Theodosi Nupt. ex rescripto.* quæ abrogata est *per l. celebrandis 9. C. de Nupt.* Passim tamen hodiè (quò jure, an injuriâ? modo dixi) supputatio Canonica in gradu secundo suæ supputationis non admittitur, præterquam in 5. exclusive. Quomodo *Amita, Matertera, Amita magna, Matertera magna*, prohibita sint uxores duci, in lectionibus ad §. I. casibus formatis prolixè explicavimus.

*Ad §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*

26. Ultima inter modos matrimonium contrahendi ratio *affinitatis* est. Affines constituuntur de jure canonico ex quovis coitu, de jure civili ex justis tantum nuptiis, ideò omnes mei cognati sunt affines meæ uxori, non autem ejus cognatis, & omnes ejus cognati affines mihi sunt, non autem meis cognatis, quia affinitas ultra personas conjunctas non extenditur. Hinc duo fratres possunt duas sorores, & pater & filius matrem



trem & filiam ducere, quia inter hosce neq; naturale, neq; civile vincu-  
cum nuptias impedit. Ut ut quidem affinitas non mutat gradum, sed  
genus attinentiæ, quotò tamen gradu nuptiæ inter uxorem & ejus co-  
gnatos sunt prohibitæ, totò & mihi sunt vetitæ inter eos, veluti meos  
affines.

27. Dantur autem *tria genera affinitatis*, mediantibus vel unâ, dua-  
bus, vel tribus personis copulâ carnali junctis; ex quibus primum habet  
prohibitionem ad quartum usq; gradum, cætera duo non. *c. non debes  
extra de Consang. & Aff. v. c. Fratris mei viduam propter primum ge-  
nus affinitatis ducere vetor; vel ita*: Sororis maritus est mihi in 1. ge-  
nere affinitatis, quia soror est mihi in 1. gradu cognationis; mortuâ so-  
rore ducit maritus aliam, quæ est mihi in 2. genere affinitatis, quam eò  
defunctò ducere non prohibeor. Idem est in 3. genere: Privignam vel  
nurum uxore vel filiò meò mortuò ducere eâ ratione vetor, quia filia-  
rum locò mihi sunt; si vivant, ob polygamiam prohibeor. Idem est de  
focru & Noverca, *d. c. non licet, Levit. 18 & 20. l. licet, de incest. Nupt.*  
Verùm quomodo *c. non debet. cum l. Uxorem. 15. ff. de ritu Nupt. & l. 2.  
§. 6 & 7. ff. de g. adu. cognat.* convenient, disputando videbimus.

28. Quin inter *comprivignos* nuptiæ consent, dubii expers est de  
jure Civili, etiam de jure Divino. *Levit. 18.* Ibi enim agitur de sorore,  
non comprivigna, sed natâ ex meo patre, quam sententiam volunt esse  
Chaldæi paraphrastis, quam exhibet versio Latina vulgaris & Genuen-  
sium Gallica, quod refert Liran ad *d. c. Levit. 18.* Græci simpliciter *com-  
privignorum* matrimonium improbarunt. *Harmenop. lib. 4. tit. 6.*

29. Sequuntur *pœnæ non-legitimè contrahentium Nuptias*. Nuptiæ  
*illicitæ* sunt vel nefariæ & incestæ vel *inutiles*. Illæ sunt, quæ inter Ascen-  
dentes & descendentes contrahuntur usq; in infinitum. Incestæ fiunt  
inter collaterales in primo & secundo gradu lineæ inæqualis. Idem est  
ratione Affinitatis. Inutiles, quæ nec naturâ, neq; jure divinò repu-  
gnante, sed Civili vel Canonico prohibente contrahuntur, quorum 14  
modos vid. in glos. ordinar. in § *sunt & alia ff. de Nupt.* Pœnâs harum  
refert §. 12. *Instit. hîc.*

30. Præter hæc pœnâs plectuntur Nefariæ & incestæ nuptiæ  
1. *Confiscatione omnium bonorum*, ubi non extant liberi ex priori matri-  
monio. 2. *infamiâ seu privatione dignitatis*. 3. *exiliò & pœnâ capitali*.  
Auth. *ex complexu c. de incest. & Nef. nupt.* Incestus juris gentium gra-  
vior est juris civilis incestu, De jure Saxonico nefariarum Nuptiarum

E

inter



inter ascendentes & descendentes, wenn sie Blut-Schand begehen/ peccata regulariter capitalis est. Incestarum inter collaterales, cum caesione virgarum perpetua relegatio. *Constit. part. 4. n. 22.*

31. Legitimatione rediguntur in patriam potestatem, qui in eam non fuerunt ab initio nati. (1.) contigit per *oblationem curiae*, qui modus diutissimè, cum lance & liceo, ut ille apud Gellium ait, abs usu recessit. Institutus à *Theodosio Imp. in l. 3. C. de natural. liber.* à Leone probatus, l. 4. C. cod. à *Justiniano* explicatus, *Novell. 89.* Redolebat hic honor curialis non obscure servitutem quendam. Confer. *Brisson. lib. 4. Antiquit. n. 3.* (2.) per *subsequens matrimonium*, ductâ concubinâ in uxorem. Institutus hic modus à *Constantino Magno* per *l. Divi Constantini. C. de natural. lib.* ubi in §. 13. pacta dotalia requirit, quod hodiè antiquatum, constare namq; aliter de nuptiis subsecutis potest: 1. *Testibus.* 2. *Proclamatione* pro consuetudine loci de suggesto. 3. *Benedictione* ministri Ecclesiae copulantis &c.

32. Hæc legitimitio omnium optima. Ita enim legitimatus succedit, ex Commun. Dd. opinione, non tantum patri naturali in *allodialibus*, sed etiam *Feudalibus*. *Schurff. consil. 1. centur. 1.* Retrotrahitur enim tempus nuptiarum ad tempus nativitatis, non naturâ, sed fictione juris, quæ tales civiles producit effectus, cooperante simul locorum consuetudine, matrimonio licet in articulo mortis contracto. *Qui sic? Ubi nulla spes matrimonij?* 1. Consensus, non copula, facit matrimonium. 2. Mortis articulus intelligitur cum aliqua latitudine temporis, cum quis adhuc consentire potest, non illud momentum cum anima exhalat. *Covarruv. de sponsal. c. 8. n. 10. Alb. Gentil. lib. 1. de Nupt. c. 3.*

33. Concubinatu hodiè honestissimè rejecto, legitimantur per subsequens matrimonium *spurii*. In quibusdam imperii & extra imperium locis pro more receptum est, ut mater spurios in ipsa copula sacerdotali vel pallio includat, vel ipsi matri proximè adstent, eaq; vestitu teneant. *Adulterini* non legitimantur. *Nov. 74.* neq; *incestosi*: vid. tamen l. 37. §. 1. ff. de ritu Nupt. Legitimantur autem & spurij per *Rescriptum principis*, cujus hic in §. mentio non fit. Legitimitio hæc post editas Institutiones inventa in *Novell. 89. cap. 9.* relata est. Locum non habet, aliis liberis legitimis extantibus, nisi Imperator aliter rescribat expresse & cû clausula, (*non obstante*) de quo digladiantur *Bocer. & Vultej.* Certum, hujusmodi legitimatum in novis Feudis non succedere, nisi ad id  
Specia-



specialiter sit legitimatus, & in Feudis antiquis agnatorum consensum  
requirendum esse. Maximilianum namq; Imp. hujusmodi rescripta  
nunquam in præjudicium agnatorum concedere voluisse, refert  
Gail. 2. obs. 140. n. 2. Competit & legitimandi potestas *Archiducibus  
Austriae*, attamen non nisi in suo territorio, quod non obscure innuunt  
eorum privilegia, relata à Goldast. in *Reichsfassung* p. 2. fol. m. 195. in  
*privil. 137*. Comitum Palatinorum legitimatio per imperium extenditur.

*Ad tit. II. & 12.*

34. Tertius potestatis constituendæ modus *adoptio est*, quæ aliter  
à Cajo, Cujacio, Donello Gellio & aliis definitur. Certe Hotomannus  
& Cujacius redivivi hîc sunt *Capitones & Labeones actuum Legitimorum  
& legum actionum*, difficultatè jurisprudentiam nostrâ innodantes. Qv.  
*An adoptare possit, qui liberos habet?* Resp. Aff. p. r. §. *inter 2. Instit. de nu-  
ptijs*. ibi, *si quis generum suum velit adoptare, debet prius filiam suam eman-  
cipare, &c.*

35. *Adoptio est duplex, i. specialiter adoptio & arrogatio.* Obft.  
Cajus lib. 2. *Instit. tit. 3. §. 3 & Ulp. b. tit. fieri arrogationem apud populum.*  
Resp. (1.) *Instit. & Fragmenta Caji in Correctoriis vim nullam habent.*  
(2.) *Ante Imperatorum, præsertim Tiberii tempora arrogationes fa-  
ctæ sunt apud populum, de quo vid. Gell. lib. 5. c. 13. deinde minimè. Sed  
quid dicendum est de adoptante extraneo, transiit ad ejus familiam &  
potestatem adoptatus?* Resp. Aff. Naturale vinculum suætatit manet pe-  
nes patrem naturalem, verùm Civile transit ad adoptantis familiam &  
potestatem, per *l. cum adoptivis, vers. tum etiam necesse est.*

36. Arrogabatur olim nemo, nisi pubes aut *vesticeps*. Impubes ergo  
ut arrogetur, requiritur (1.) *causa cognitio.* (2.) *Cautio*, ut si  
eum sine justa causa exheredaret, arrogator ei quartam bonorum suo-  
rum relinqueret. Sed *quænam hæc quarta bonorum, num censuum, an  
portionis ab intestato debita?* Resp. Expresum textum *l. ult. ff. si quid in  
fr. aud. patr.* secutus, Accursium non approbo ad §. 1. obft. 14. *annorum  
posse quem matrimonium contrahere, anne & adoptare?* Ad quid ergo  
*bi. 8. anni?* Resp. *Ratio diversa est.* Matrimonium tantum poscit pu-  
bertatem & coeundi facultatem, adoptio vero firmatum judicium, se-  
cundùm Tacitum, nasci fortuitum est, adoptare prudentis, ut opti-  
mum in spem nominis eligas. Qv. filium habet, & adoptat nepotem,



filijs consensum requirere debet, ne eò invito agnoscat hères, quòd fecus est, si alter neptem dederit adoptandum.

37. Qui incurabiliter generare non possunt, adoptare non possunt: adoptio enim imitatur naturam. Ideò *Castrati*, quibus virilia sunt excisa; *Thlibia*, quibus sunt collisa; & *Thlasia*, quibus sunt attrita, adoptare non possunt, quia nunquam generare possunt, quòd in *spadonibus* deficit, spem enim habent generandi vniò naturæ curatò *l. 2. 10. ff. de adop.*


38. Adeoq; quia adoptio constituit patriam potestatem, foeminae non habent in potestate, etiam naturales: si quæ vero ipsis indulgeretur, imputandum esset eis liberorum amissionum solatio, non potestatis iuri § 10. Qui ergo adoptat filium familias, alienum in suam trahit familiam, qui arrogat etiam ejus filios & nepotes, adeoq; omnem arrogati familiam §. 11. Servus vero proprius si adoptetur, adoptio hæc non inducit *filiationem*, sed *manumissionem* § 11.

39. Actum de patriæ potestatis *constitutione*, sequitur ejus *dissolutio* per rationem: *Novell. 27 c. 3.* solvitur 1. morte naturali & civili, maximà nempe & medià Capitis diminutione, libertate namq; vel civitate amissâ, juris Civilis ratio nulla superest. *Hodie* hi sunt damnati bannò Imperiali: *Recess. Imp. Spirens. A. 1516* quæ (1) capitis diminutionem, quæ (2) fustigati cum perpetua relegatione, quòd de simpliciter relegatis non intelligendum, *Tit. de Interdict. & Relegat. Servitus pœna* hodiè est planè abrogata. *Novell. 22 c. 8. l. un. de gladiator. 2.* olim solâ dignitate *Patritiaris* l. ult. *C. de dignit.* Non *militari, senatoria* & *Consulari*: hodiè dignitate *omni.* *Novell. 8. c. 1. & 2. l. ult. C. de decur.* Item *Doctorali* & *Consulari* &c.

40. Hi soluti dicuntur à patria potestate in *odiosis*, non verò in *favorabilibus*, h. e. jus sunitatis & successionis æque retinent, ac fratres in potestate remanentes. 3. Olim *Caprivitate* & *emancipatione*, quæ ferè jus antiquatum sapiunt. *Hodiè* filii vel filiae emancipari dicuntur, quando contractò justò matrimonio proprium domicilium à patre separatum habere permittuntur, qui liberi æquè cum alijs in patris domicilio degentibus, ad parentum admittuntur hæreditates. *Zaf. & Gregor. Tholosan. lib. 11. Synagm. n. 6.*

41. Hisce addi potest *prescriptio* l. 1. *C. de patr. potest. Infantum expositio.* l. 2. *c. de Infant:* *Incestus patris* *Novell. 12. c. 2.* Quæ ita summatim, Pleuiorem expositionem excludit pagellarum angustia.
























VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI. Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferior minor, aut media, venatio data est, a nostro uenando se abstinere debet in locis, ubi ferae maioribus. Is autem, qui duntaxat superiori, siue maioribus venatione, tali, vice versa, uti nequit in locis inferioribus, aut mediae, subsistunt. Ratio assequius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmodi venationem disturbantur, et in aliena loca extra banerium transfugiunt (b). Non debet autem alteri per

eorum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-tem id quoque non facile permittitur, ut, praedio, cui venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in locum unius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea plures substituatur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maij. 4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio exantur, sunt Confessoria et Negatoria utilis.

Audiamus ante, quam ulterius progredimur, ipsosmet uerba, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener  
l. Schwarzburgischer Ober-Förster hiermit auf Begehren,  
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn  
nehm.

E